

uel anguli terræ in circulo directo. Et quod inde prouenerit quare in ascensionibus circuli directi, quia quo perueniet de circulo signorum, ibidem perueniet directio in eodem anno. Sed si significator dirigendus fuerit extra angulos, scias horas longitudinis significatoris ab angulo medi coeli, uel mediae noctis, sicut dictum est superius. Deinde si significator dirigendus fuerit in medietate orientali, adde super ascensiones gra. significatoris, uel gra. cum quo significator mediat coelum numerum annorum quos uolueris. Et quod inde prouenerit quare in ascensionibus circuli directi, Et uide quo extenditur de circulo signorum, quia illic perueniet directio circuli directi quam serua. Addes etiam eundem numerum annorum super ascensiones gra. significatoris uel gra. cum quo oritur significator. Et quod inde prouenerit quare in ascensionibus circuli regionis, & uide quo extenditur de circulo signorum, quia perueniet directio circuli regionis quam similiter serua. Post hoc uideas differentiam quae fuerit inter praedicta duo loca directionum, cuius differentiae accipe sextam partem, & ipsam multiplicata per horas longitudinis significatoris ab angulo, & quod inde prouenerit, adde super locum directionis primæ, uidelicet, super locum directionis circuli directi si minus extenditur quam locus directionis secundæ, uidelicet quam locus directionis circuli regionis, uel inde minue, si magis extenditur, & quod resultauerit uel remanserit serua, quia illuc perueniet directio ex circulo signorum in eodem anno. Sed si significator dirigendus fuerit in medietate occidentali, operare cum nadir gradus significatoris, aut cū nadir gradus cum quo occidit significator, sicut fecisti cum gradu significatoris, uel cum gradu cum quo oritur significator in operatione præcedenti, & quod ex operatione huiusmodi resultauerit uel remanserit, nota, quia ad eius nadir perueniet directio ex circulo signorum in eodem anno. Poteris etiam si uolueris operari per horas longitudinis significatoris dirigendi ab angulo orientis, & etiam ab angulo occidentis. Sed certe hic modus inueniendi quo de circulo signorum perueniat directio in aliquo an-